



**Ecclesiasticae Historiae, Et Dicta, Inprimis Memorabilia,
Christi, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum,
& hostium veteris Ecclesie: singulari iudicio, & pio studio,
ex Eusebio Cæsariensi ...**

Eusebius <Caesariensis>

Haer. Chr. Egen., 1571

VD16 E 4284

66. Oratio Senis Ad philosophum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69335](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69335)

65. DE PHILOSOPHO QVODAM & DIALECTICO disputante argutissime contra fidem Christianam in Synodo Nicæna, quem simplex quidam & pius senex ad Christum subito, potentia verbi diuini conuertit, cap. 3.

*Nicæna sapiens Synodo doctusq; sophista,
Disseruit contra dogmata vera Dei.*

*Ad Christum vertit subito quem motus amore
Diuino, simplex per pia verba senex.*

*Te precor ô sapiens, dixit, per nomen Iesu,
Auribus attentis hæc mea verba cape.*

66. ORATIO SENIS AD
philosophum.

IN nomine Iesu Christi, Philosophe, audi quæ vera sunt. Deus vnus est qui fecit cælum & terram, quiq; homini, quem de terræ limo formauerat, spiritum dedit. Vniuersa quæ videntur & quæ non videntur, virtute verbi sui creauit, & spiritus sui sanctificatione firmavit. Hoc verbû & sapientia, quem nos filium dicimus, humanos miseratus errores ex virgine nascitur, & per passionē mortis à perpetua nos morte liberauit, ac resurrectione æternam nobis cõtulit vitam, quem
& ex-

& expectamus iudicem omnium, quæ gerimus, esse venturum.

¶ *Vnus & æternus Deus est, qui cuncta creauit,
 Et verbo seruat cuncta regitq; suo.
 Atq; eadem flatu diuini numinis idem
 Continet, & clemens sanctificata fouet.
 Hic Deus est pater & verbum flatusq; sacratus,
 Vnus hic est verus, nomina trina, Deus.
 Verbum quod patris Gnatum nos dicimus, illud
 Assumpsit carnem virgine matre Deus.
 Aeterna moriens qui nos de morte redemit,
 Et vitæ surgens gaudia læta tulit.
 Errores nostros miseratus Christus, amore
 Immerito nobis commoda tanta tulit.
 Iudex post claro rediturus ab æthere iustus,
 Cuilibet ex meritis præmia digna dabit.
 Hæc ita dicta, senex referens ait, omnia credis
 Certò hæc ex animo, doctæ Sophista, tuo?
 Substitit hic mutus subito stupefactus, ab illis
 Quæ retulit sanctus verba verenda senex.
 Ad se post rediens, ait, ipse hæc omnia credo
 Persuasus, narras quæ venerande senex.
 Post Domino credens, sacram deductus in adem,
 Ad socios dixit talia verba suos.*

67. VERBA PHILOSOPHI,
 de energia verbi externi.

Audite